



Altitudo terræ siue habitationis, est arcus meridiani, inter æquatorem
 & zenith capitis interceptus. Zenith autem capitis, est punctus qui no-
 bis supra uerticem capitis eminent. Porro latitudo terræ semper æqua-
 lis est altitudini seu eleuationi poli supra horizontem, quadam tamen
 ratione inter se differunt. Nam eleuatio siue altitudo poli, est arcus me-
 ridiani, inter polum mundi & horizontem interceptus. Latitudo uero loci, est ar-
 cus meridiani inter zenith capitem, & æquatoris circulum contentus. Hæc erit
 obseruanda omni die, Sole lucente per quadrantē simplicē uel Astrolabiū, uel aliud
 instrumentū, hoc modo: Accipe altitudinem Solis mediante tuo instrumento, cum
 directe meridianum possederit, eam ad partem notando. Deinde uide uerum lo-
 cum Solis eo die in meridie ex diario, uel per tabulas quanto certius potes, cuius lo-
 ci ueri quære declinationem cum parte sua septentrionali uel meridionali per tabu-
 las ad hoc factas, & si talis declinatio fuerit septentrionalis, eam subtrahe ab altitu-
 dine Solis, supra notata ad partem, & patebit eleuatio æquatoris tuæ regionis, quæ
 à 90 gradibus sublata, latitudinem tuæ regionis, siue eleuationem poli relinquit.
 Si autem declinatio Solis fuerit meridionalis, adde eam altitudinem Solis meridia-
 næ ad partem seruata, & prodibit eleuatio æquatoris, quæ ut supra à 90 gradibus
 reiecta, latitudinem regionis, siue eleuationem poli manifestabit. Idem etiam per
 stellam quemuis orientem & occidentem habebis, si altitudinem eius meridianam
 cum sua declinatione obseruaueris, & ut de Sole modo dictum est, operatus fueris.
 Per stellam etiam nunquam occidentem hoc idem inuestigare poteris, nam si eius-
 dem stellæ maximam atq; minimam acceperis eleuationem meridianam, & amba-
 rum simul coniunctarum medietatem acceperis, ipsam poli sublimitatem, quæ sem-
 per eadem est, cum dati loci latitudine, tandem inuenies. Hos demum gradus la-
 titudinis in hunc nostrū terræ globum, per circulos parallelos æquatori æquidistan-
 tes uersus utrosq; polos de 10. in 10 gradus distinximus, quorum tamen singuli gra-
 dus latitudinum per quandam scalam graduum in occidente, apud fortunatas insu-
 las, cum numeris suis adiecimus. Nam & hac in re gradus tam longitudinis quàm
 etiam latitudinis ad impositionem nouorum Hydrographorum, in hoc nostro ope-
 re nouo ordinauimus, nam ad manus fuere chartæ marinariæ optimis characteri-
 bus conscriptæ, & nouæ, magni ualoris & præcij, quarum etiam loca Metheoro-
 scopijs, quantum potuimus, concorditer locauimus. Nam uidemus à Ptholemæi li-
 bro nomina mutata, & uix dici potest, quàm incognita sit nostra Germania, pro-
 pter mutatas urbes, gentes atq; nomina. Et possent profecto principes Germani,
 nulla re magis nomini Germanico consulere, quàm si huc publice uniuersi, & pri-
 uatim singuli animum adijcerent, ut quàm fieri posset diligentissime obseruaren-
 tur cum longitudinis tum latitudinis Germaniæ gradus, uel etiam Europæ totius,
 uniuersi enim orbis descriptionem iustissimam ac nouam tradere difficilimum fue-
 rit, atqui patriæ suæ quisq; facillime longitudinis & latitudinis deprehendere pote-
 rit gradus, ubi harum rerum doctos sibi adhibuerit uiros. Hoc enim præcipuum
 est Imperatoris, & ueri principis uiri munus, quod Strabo multis commendat
 nominibus, Iulius Cæsar, Hispaniam ac Galliam à se deuictas, memoriæ æternæ tra-
 didit. Octa. Augustus omnem terram à se habitam recensuit, ut in Euangelio Lu-
 cam testatum etiam uidemus: Exiit, inquit, edictum à Cæsare Augusto, ut uniuersus
 describeretur orbis &c.

Qualiter